



45

DE
POETA ORATORI FINITIMO
ORATIO
QVA
PROFESSIONEM POESEOS ORDINARIAM
IN ACADEMIA LIPSIENSIS
A. D. XII. FEBR. CICIOCCCLVII.
ADIBAT
CAROLVS ANDREAS BEL
A. M. COLL. MIN. PRINC. COLLEGIATVS ET NATIONIS BAVARICAE
SENIOR.



LIPSIAE
EX OFFICINA LOEPERIA.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,
ILLVSTRISSIMI COMITES,
VIRI SVMME REVERENDI, ILLVSTRES,
CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,
AMPLISSIMI,
TVQVE BONARVM LITTERARVM STVDIOSAE
IVVENTVTIS LECTISSIMA CORONA

Si omnium carum rerum, quae, a communi principio progressae, eundem ad scopum feruntur; eodem tramite, nec diuersis suffultae admiculis, incedunt; denique, iisdem fere patent laudibus, et vitiis obnoxiae sunt, par est simillimaque in plerisque ratio: dubitari non potest, Auditores, quin studia artium, meliorisque doctrinae, in vniuersum omnia, naturali quodam inter se, et necessario vinculo,

A 2

firmis-

firmissime contineantur. Mens quidem, et ingenium humanum, quibus non aliud praestantius ab immortali Numine donum natura nostra accepit, vnicus censeatur, necesse est, fons, idemque uberrimus, vel inueniendi sagaciter; vel subtiliter cognoscendi, et cogitatione adsequendi; vel tandem conferendi in vitae morumque vsum, quaecunque ad scientiae doctae utilisque ambitum pertinere existimantur. Nulla porro in hac tanta intelligendae doctrinae varietate ars est, disciplina omnino nulla, quae non aut recte sapienterque sentiendi facultate nos imbuat, aut ad vitam commode atque feliciter transigendam ducat: ac nisi utrumque finem attingat, alterutrum certe, haec magis, lentius illa, consequatur. Neque vero per difficiles anfractus, aut valde discrepantes vias, omnis haec proposita ad sciendum copia aditur. Plana est, et quamvis triplex, ad eum tamen modum procedens semita, ut vere una adpellari possit, in qua litterarum percipiendarum studiosis omnibus versandum est. Nam neque natura duce, neque comitibus praecepsit, neque, quam constanter inherentem tergo habeamus, exercitationis adsiduitate, carere nostrum quisquam, in communi hoc et honestissimo curriculo, velit. Sed ista vniuersae eruditio cognatio, et propagata per singulas illius partes adfinitas, non magis, credo, a Vobis, Aud. Hon. in controuersiam vocatur, quam illa, inter innumerabiles riuos, e
tor-

torrentis finu emissos, intercedens coniunctio. Quo
grauius mihi quidem redarguendus videtur eorum error,
qui vnam duntaxat doctrinae partem, repudiatis ceteris
omnibus, ab homine uno percipi, et penitus imbibiti
volunt; pugnantque adeo contra Connexionarios, vt
vocant, qui sine multarum rerum atque variarum cogni-
tione, ullum scientiae genus perfici satis, atque exor-
nari posse, ita negant, vt euicisse reputandi sint.

Iam nos si huic, quanta quanta est, Musarum pro-
geniei immisi, eas artes, quae liberales et ingenuae di-
cuntur, contemplamur, singularem in iis necessitudinem,
et conspirationem amicissimam, deprehendimus. Cuius
concentus hoc est quasi fundamentum, declaratum illud
satis superque a veteribus, aetate autem nostra eleganter
restitutum, quod harum artium princeps posita est, in
imitanda rerum natura, occupatio. Celebratur hic illa
TULLII VOX: „Omnes artes, quae ad humanitatem per-
tinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi
„cognitionem inter se.“ Haec orator post hominum
memoriam summus, pro viro, poetica laude florentissi-
mo; postquam illa sane memoranda dixerat: „ne quis a
nobis Archiae in nos merita praedicari miretur, quod
alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec di-
cendi ratio aut disciplina; ne nos quidem huic cuncti
studio penitus vniquam dediti fuimus.“

A 3

Non

Non erit igitur vel ab huius noui muneris mei, quod est in docenda et commendanda publice poesi constitutum, auspiciis alienum, simili me ac fere eodem vti instituto. Quae auspicia, cum sint oratione capienda, quid impedit, aut quid non potius suadet, ea ex arctissima oratoris et poetae; quorum sunt primae in studiis humanitatis partes, duxisse. Excitatum autem me ad argumentum istiusmodi delibandum fateor, egregio Ciceronis in Rheticis loco, qui poetam oratori finitimum, socium, ac pene parem adpellat. Super his breuiter dicere incipienti, Vos, Aud. Hon. propensis animis atque auribus savete, idque non tam mei caussa, quam eorum, quos ex sincera et doctissima antiquitate continuo duces sequar.

Ac primum ipsa illa vox, qua Romanae eloquentiae pater, in designanda artis suae cum poetica connexione, usus est, admonet me, vt, quibus vtraque finibus contineatur, hoc est, quae nam res? et quantae? cum in oratoris, tum in poetae quasi ditionem, natura ipsa datae sint, circumspiciam. Igitur, si duo per vniuersum terrarum orbem fusa imperia, aequalia inter se potentia et auctoritate, sed prouinciarum positu suarum ita inuicem permista, et communis adeo definita limite, vt aegre, cuius in fundo verseris, dignoscas: haec, aio, si animo nobis fingamus, tum vero clarissimam

mam terminorum vtriusque artis nobilissimae imaginem tenebimus. Immensi illi sunt, nec nisi cum huius rerum vniuersitatis amplitudine fistendi. Est enim in hoc orator et poeta prope idem, nullis vt terminis circumscrivat aut definiat ius suum, quo minus ei liceat, eadem illa facultate et copia, vagari qua velit. Quid est, Aud. Hon. quod oratione non exponi, non illustrari, non minui, aut commendari possit? Quid est etiam, quod non sit poetae datum, iam explicare, vel potius pingere diligentius, iam suauiter in animos hominum demittere, iisque demulcendis adhibere, iam exasperare grauius, iam emollire, aut gratam in speciem transformare. Satis profecto ad decus, satis ad necessitudinem aliquam eloquentiae et poeseos constituendam. Sed maiora vel hoc loco, qui non est ex proximis, restant. Crediderim et philosophum, & historicum, et pictorem, artiumque reliquarum peritos, res plerasque omnes agri sui finibus comprehensuros, praesertim cognitas sibi et oculis subiectas. Verum, vt illud taceam, scriptorem neque docentem, neque narrantem aliquem, fine orationis auxilio quidquam proficere; dein artifices, qui rerum formas edunt, et

vivos ducunt de marmore vultus,

mirum quantum a poesi adiuuari: etiam his missis, excellere inter omnes oratorem et poetam existimo. Dico enim, vtrumque, non eas solum eruditioinis partes

VIII

tes, quas ingenio vel memoria hauserit, egregie tractaturum, sed illis ipsis de rebus, quas ignoret, sed ad certam causam tempusque cognorit ab iis qui tenent, multo esse melius, quam hos ipsos quorum istae sunt artes, multo ornatus et copiosius dicturum. Tanta est in eloquentia et poesi vis, Auditores, tanta in apto et perpolito dicendi genere gratia. Itaque Aratus, homo ignarus Astrologiae, ornatissimus atque optimis versibus coelum stellasque cecinit. Nicander autem Colophonius, ab agro remotissimus, de rebus rusticis, poetica quadam facultate, non rustica, scripsit paeclare. Nolo in eam rem exempla oratorum proferre: tamen nec hos, pro mutua cum poetis amicitia, silentio penitus praetermittam. Quod est de Phormione apud Ephesios litteris proditum, qui, auscultante Hannibale, aliquot horas de omni re militari disseruit, atque ideo summi Imperatoris sententia, omnium delirorum senum, quos quidem vidisset, maxime delirus iudicatus est, id, nescio an ea suffragii promtitudine, qua vulgo, probandum sit. Quid? si hic magis superba Poeni ferocia, quam stultitia Peripatetici illius accusanda veniat? Sit ita: nec hostem, vñquam, nec castra viderit Phormio; licebat nihilominus de illis verba facere, qua videlicet oratorem prae se ferebat, qua non erudiendi Hannibal iscausâ haec instituit, sed oblectandi. Quis enim est, qui duobus illis clarissimis poetices sideribus, Homero et

et Maroni, succenseat, eos, numquam in militia versatos, bella, horrida bella, carmine exposuisse? Quis non potius vehementer sapientissimorum atque ingeniosissimorum virorum probet ac praedicet consilium, ametque eos prae iis ipsis lectitare, qui res bello a se gestas tradant, quod hi rem candide quidem expromant, illi quasi praesentem statuant, faciantque te illa utiliter commoueri.

Sed ut eo redeat, vnde digressa est haec oratio, adparet, quantum sit poeseos cum eloquentia, vel hoc nomine, finium puta aequa late patentium, vinculum. Iam quando finitura sibi, ac socia, ars vtraque dicitur, quae tandem connexio adeo apta, soluique omnino necia, reperiatur? Dionysius quidem Halicarnassensis, censor ingeniorum acer et grauis, optimam orationem poesi esse simillimam debere, libro de structura verborum, contendit. Ex quo intelligitur, qui factum sit, ut praestantissimi dicendi magistri, Cicero et Quintilianus, non raro poetarum locis pracepta sua declaranda sumserint? De his tamen amplius dicetur deinceps: nunc propiora videamus.

Frequentatur vulgo, nec iniuria, doctorum hominum sermone, haec sententia: poetas non fieri, sed nasci, non arte demum et vsu effungi, sed a natura

B

ipfa

ipsa matre, velut perfectum propemodum foetum procreari. Verum istud et caute dictandum est, neque ad solos videtur poetas pertinere. Multum, cedo, interest, quo ingenio, quam foecundo et luculento, vtaris, quicunque pangendis tibi versibus nomen parare adgredaris; nec in illa arte alia id magis spectandum est. Fac autem te talem esse, qualis fuisse Ennius traditur,

ingenio maximus, arte rudis:

nec doctus poeta habebere, nec dulcis, nihilque adeo magnum et insigne in animis lectorum efficies. Quid multa? audiamus Flaccum:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,

inquit ille,

*Quae situm est. Ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude, quid profit, video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem, res, et confirat amice.*

Sed non est cur solus poeta iactet, summum sibi in natura, et nato secum elegantiae sensu, praesidium esse. Habet et hic, vt in ceteris plerisque, aemulum et amicum oratorem. Quod cum ego desperem, me satis digne Vestra Aud. Hon. praesentia edifferere posse, rurus Ciceronem excitabo. „Natura primum atque ingenium ad dicendum vim adfert maximam:“ agnoscitis eloquentissimi hominis vocem: „Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui et ad

„exco-

„excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque
 „sint vberes, et ad memoriam firmi atque diurni. Et
 „si quis est, qui haec putet arte accipi posse, quod
 „falsum est, [praeclare enim se res habeat, si haec ac-
 „cendi aut commoueri arte possint; inferi quidem et
 „donari ab arte non possunt omnia, sunt enim illa do-
 „na naturae:] quid de illis dicet, quae certe cum ipso
 „homine nascuntur, linguae solutio, vocis sonus, late-
 „ra, vires, conformatio quaedam et figura totius oris
 „et corporis.“ Haec ille, aliaque praeclara, de Ora-
 tore, libro primo. Iuuat etiam hac super quaestione,
 naturane plus ad eloquentiam conferat, an doctrina?
 Quintiliano operam dare, cuius haec sunt: „Si parti
 „utrilibet omnino alteram detrahias, natura etiam sine
 „doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natu-
 „ra poterit. Sin ex pari coeant, in mediocribus qui-
 „dem utrisque maius adhuc naturae credam esse momen-
 „tum, consummatos autem, plus naturae debere, quam
 „doctrinae, putabo.“

Atque hic commodus mihi subnascitur locus, tria
 illa, quae in perfecto tam oratore, quam poeta, esse de-
 bent, non tam exponendi, quam commemorandi paucis.
 Primum est acumen, seu ingenium, cui primas con-
 cedo, deque eo haec tenus dixi. Alterum ratio, quam li-
 cet, si volumus, adpellemus artem. Tertium diligentia.

B 2

Inter

Inter ingenium et diligentiam, quod est pro exercitatione apud Tullium, per paullulum loci reliquum est arti: ea demonstrat tantum vbi quaeras, atque vbi sit illud quod studeas inuenire: reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilancia, adsiduitate, labore, uno verbo complectar, in diligentia. Itaque in utraque arte, cui contendenda feruio, verissimum haberi debet: si ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere. Adiungatur autem his numquam deferenda scriptionis palestra, in qua non solum commentando exercere, verum in primis limando ea, quae in litteras retuleris, et seuere recensendo. Certe non oratori duntaxat tendendum est, stilum esse optimum et praestantissimum dicendi effectorem et magistrum, sed etiam ad poetas pertinet suppar Horatii praeceptum:

*Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sint,
scripturus.*

Nunc me in enodanda eloquentiae et poeseos cognatione mutua pergere, et patitur, et iubet, comis Vefra, Aud. Hon. patientia. Igitur, post communia artium nostrarum fundamenta, ad ea quae firmitatem his conciliant, properemus. Habeatur aliquis excellenti vir ingenio; cognoverit idem adcurate utroque sermonis generе

genere scienter vtendi regulas; sit indefessa adſiduitate exercitatus: tamen, si ad dicendum torpenti animo, negligentiorque in cognoscenda rei propositae dignitate, venerit, moleſtus orator, frigidus poeta increpabitur. Hinc illud egregium Democriti et Platonis ſcītum, potetam bonum neminem ſine inflammatione animorum extere poſſe, et ſine quodam afflato quaſi furoris. Romanorum autem eloquentiſſimus, nonne graui contentionē confirmat, nullam mentem eſſe tam ad comprehendendam vim oratoris paratam, quae poſſit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam et ardens acceſſerit. Vere quidem, et naturae artis conuenienter. Quis enim paullo humanior eſt, quin videat, nec placitura dici poſſe ab eo, qui nullo argumenti ſui amore captus eſt, nec faces orationis admoueri lectruris, vel audientibus, niſi hic ipſum te prius aeftus commouerit,

*Si vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi: tunc tua me infortunia laedent.*

Illud autem digniſſimum amicæ ſocietatis, de qua dicere iſtitui, exemplum eſt, neminem in oratorum, neminem in poetarum numero habendum eſſe, qui non ſit praeclare doctus, omnibusque iis artibus, quae ſunt libero dignae, perpolitus. Rem fane admirandam; non quidem in ſe, ſed tamen aetati noſtræ. Hodie enim, vt quiske aliquam sermonis patrii facultatem,

tum obseruandae facilitatem prosodiae, consecutus est, ita versus ineptos non factitat, sed fundit. Necquidquam illum eruditionis inopia, necquidquam alienum a studiis humanitatis ingenium, retinet: scribendum, etiam si foliis indoctis, et genio hominum, cum quibus viuimus, consulendum arbitratur.

Quanto rectius fuerit, priscae vestigia sapientiae legere. Iam ille clarissimus artis poeticae, et magister, et exemplum ipse praefrantissimum, rudes doctrina, versibus scribendis abstinere iterum iterumque postulat; tintos esse debere, qui haec audeant, philosophiae, in primisque morum disciplinae scientia, sine hac poesin nugas canoras esse. Primum igitur hoc et antiquissimum,

Scribendi, recte sapere, est et principium, et fons.

Oratorem autem plane similem vult, qui ipse doctissimus fuit, Tullius. Omnes artes comites et ministras illius constituit: et quoniam dicendi facultas non debet esse iejuna atque nuda, sed adspersa atque distincta multarum rerum iucunda quadam et vtili varietate; oratoris boni esse, ait, multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse, ac, nisi vt sua possedisse, tamen vt aliena libasse. Idem, poetas homines doctissimos, Milonem defendens, dixit. *Est utique haec debita veterum poetarum*

rum virtuti laus, quod, cum doctrina abundantes carminibus efformandis se accinxerint, haec refertissima litterarum atque prudentiae promptuaria condiderunt. In his gentilis religio theologiae suae scita praedicabat conservata; nos, antiquorum rituum atque morum, historiae vetustae, vniuersae philosophiae, in primisque praeceptorum de officiis hominum, immo artium omnium fontes, merito celebramus.

*Sic honor et nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus, venit.*

Si his locis, Audd. Ampliss. de quibus adhuc dixi, tam pulchre conuenit cum poeta oratori; si nihil neque singulare, neque illustre est, quod non eodem iure uterque occupet et tueatur: quantum existimabimus, inter utriusque artis naturam summamque omnem, intercedere coniunctionem? Sed haec breuius edisseram, quod sponte sua incurruunt in oculos, et vel signis notata intelliguntur: illa superiora, longius quodammodo arcessenda fuerant; estque mihi verendum, ne adtentae benevolentiae Vestrae, Aud. Hon. fructu, meo vitio, excidam, si aperta atque perspicua operosius persequar. Quae igitur primum meta est, quis scopus, ad quem ille tantus poetae et oratoris impetus properat? Prorsus certe idem: docere quid in quaue re sectandum aut fugiendum sit; dein, speciosis formis animos recrea-

recreare. De poetarum quidem studio isto concinne
Flaccus:

*Aut prodeesse volunt, aut delectare poetae,
Aut simul et iucunda et utilia dicere vitae:
Ac paucis interiectis:*

*Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci,
Lectionem delectando pariterque monendo.*

Oratoris autem vim vniuersam complexuri, eum fingimus, qui, quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter, et composite, et ornata, et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Quorsum ornata iubetur dicere, si non vt blanda artis lenocinia ad oblectandos auditores transferat? Quorsum prudenter et copiose, nisi vt ab illo

Inducti discant, et ament meminisse periti.

Eundem igitur itineris terminum, cum poeta propositum respiciat et orator: dubitabimusne, Auditores, communi eos quoque via progredi? Vulgata sunt rhetorum, de omni oratoris facultate, praexcepta, vt primo reperiat quid dicat, deinde iuventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispenset, tum ea denique vestiat oratione, et ornet. Dixeris, haec poetices studiosis commendari: adeo vtilem his, et necessariam rationem, comprehendunt. Quid? illa summa arte prodita Ars Poetica, iisdem legibus primariis ab-

absoluitur. Inueniat igitur primo loco cum orator, tum poeta, quae rei suae confirmandae aut illustrandae idonea sint: inuenta pulchre inter se componat. Neutrū istorum valde moror; sed vbi ad declaranda illa et exornanda oratione conuertor, maior mihi nascitur et amoenissimus dicendi campus. Hic, hic, Audd. Hon, quam splendida sit eloquentiae prouincia, quam poeseos magnifica, videbitis. Naturam vterque, excelsam et insignem venustate ducem, ea diligentia sectatur, vt, qua fieri potest, imitari studeat. In eo praecipuus artium nostrarum decor, in eo mirifica illarum posita est gratia, illud ad persuadendam mentem et commouendam robur, quod expressis naturae vestigiis continuo incedunt. Nam et maxime propria rerum vocabula, et naturalia, tanquam nomina inuestigant, et si de iis dicendum est, quae solam mentis aciem subeunt, repetitis ex vniuersi orbis spectaculo verbis, adiunctaque similium comparatione, ita illas delineant, vt coram cernere, pleneque, quid habeant laudis, aut maculae, perspicere nobis videamur. Vincit tamen, vt aliis rebus, sic ipsis a natura vniuersa acceptis floribus, longe, reliquas artes, poesis. Non est, vt opinor, inaudita Vobis illa vox, poesin esse naturam arte redditam: adeo diuinior quedam vis, in elegantia et acumine poetae residere creditur; idemque artificum ingenuorum, vt pictoris, vt sculptoris, manus, mirifice adiuuat. Verum huius loci

C

ne-

XVIII

nequaquam est, de omni ornatae orationis genere, quod verbis et sententiis constat, de figurati sermonis pompa, qua res multo maiores verbis facimus, exponere. Oratoris quae sit in eo cum poeta propinquitas, quaerimus. Tanta vero, ut esse maior non possit. Verba quidem prope poetarum in oratore requirit Cicero: hos eius tamquam magistros, quorum redundantem vbertatem nunc imitetur oratione, nunc coercent, qui cumque in dicendi arte probe versati sunt, proposuerunt. Quare, quem supra transundo adspeximus, Dionysius Halicarnasseus, Herodoti et Thucydidis historiam non veretur pulchram poesin dicere, hoc est, non minus apte molliterque fluentem, iisdemque prope placentem donis, quibus ad se poetae nos rapiunt. Ego autem in ea maneo imagine, quam orationis principio, super eloquentiae et poeseos necessitudine singulari, edidi. Nam cum istam finixerim talem, qualis inter duo regna non solum finitima, sed contigua vndique prouinciis suis, cogitari debet: facile est ad coniiciendum, hoc illarum situ, non raro controuerrias de limitibus figendis exorituras, aut certe ex patria terra in vicinam et peregrinam vix aduertendos transitus futuros. Id ipsum poetis et oratoribus accidit. Sunt loca oratorum illustrium fane quam multa, tam foecundo et concitato feruore prorumpentia, ut a poetices ingenio perparum absint. Quid illa orationis tragœdia magis poeticum:

Videor

Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum,
atque arcem omnium gentium, subito, vno incendio
concentem: cerno animo, sepulta in patria, miseros
atque insepultos aceruos ciuium: versatur mihi ante
oculos adspectus Cethegi, et furor in vestra caede bac-
chantis. Haec si metri cancellis incluseris, carmen ha-
bebis.

Conuersus ab his ad poetas eos, qui magis docere, quam oblectare studuerunt, ut Horatium magna sui parte, ut Lucretium, ut alios; tantopere illos saepius planam nudamque ornamenti viae ineundam duxisse video, ut, lectis iis, philosophum oratorem lectum mihi parum abest quin persuadeam. Fallor, an huius coloris, quae sequuntur, Iuuinalis, habenda sunt:

*Magna quidem, sacris quae dat praecepta libellis
Vidrix fortunae sapientia. Dicimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae,
Nec iactare ingum, vita didicere magistra.*

Deme iungendi pedis legem, atque vnum illud magna
victrix, quod est poeticum, pro fortiter vincere: et ne-
mo Iuuenalem agnouerit. Nolim, autem aliquis, me
haec vitia vtriusque orationis dicere. Nihil in his pro-
batissimae antiquitatis exemplis reprehendendum, nihil
non argumento aptum, vereque praeclarum: sed paucos,
queror, auream mediocritatem tenere didicisse. Alii,

quod erat fere veterum nonnullorum peccatum, liberam orationem non modo poetica dictione, supra quam decebat, contam, sed plus quam poeticis ampullis inflatam atque tumidam esse voluerunt. Alii, quos magno prouentu sequior aetas tulit, in contraria delapsi, torpentia nobis carmina obtrudunt, et quovis pumice aridiora. Vtrum horum lectori molestius sit, vtrum indignius scriptore, non iam definio. Hoc pauperis ingenii fuerit, nec doctrina exculti; illud claustra frangentis, et acti caeco quodam impetu,

Ad hoc tantum, tot rerum praecipuarum similitudine conflatum, quod est eloquentiam inter et poesin vinculum, Aud. Hon. accedit denique quiddam, solo aurium sensu cognoscendum. Nam in vtraque arte numerosa quaedam et rotunda suauitas dictio[n]is inesse debet, nec mancum aliquid et hians, nec redundans temere passa. Ut enim poetica et versus inuentus est terminatione aurium, obseruatione prudentium: sic in oratione animadversum est, multo illud quidem serius, sed eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus conclusionesque verborum. Hoc numero, qui est idem πυθμος, disiuncti olim ab oratoribus poetae, mox eum inde a Gorgiae et Isocratis aetate illis concedendo, tanto inuicem firmius coaluerunt. Est enim numerus ille, cuius in eloquentia obseruandi non tam praecepta desideramus, quam exempla,

pla, subtili aurum iudicio ponderanda, re in oratore et poeta idem, huius tamen ingenio poscente, adstrictioris mensurae, quam μέτρον dixerunt, lege coercitus; ut, quam musica sonis voluptatem crearet, eam poeta verbis adsequeretur. Cum vero hos sibi poetae numeros, qua licet, eloquentia proprios adsciuerit, mirandum non est, si imprudente oratore, versus nonnumquam integri, certe propendens ad eos orationis flexus, numerose dicere cipienti subrepant: quod quamuis vitium recte a rhetoribus castigatum, magno tamen ipsum argumento est, finitimum, quid dico finitimum? immo amicissimum poetae oratorem esse. Hic autem, fateor, mihi subinde permirabile esse visum, quando haec tam arcta coniunctio dubitationem omnino nullam patitur, tamen saepenumero excellentium oratorum ingenia, a poetica longius abhorre, et contra diuini carminis auctores parum valere dicendi facultate. Dabitis mihi istud, Aud. Hon. rarius in eodem homine vtriusque artis praestantiam inesse. Ac ipse Romanorum ille disertissimus, carmina dicitur, Persio, edidisse:

nec scombros metuentia, nec thus.

Sed est etiam, vnde haec discordia facile intelligi, componique cum iis, quae haec tenus tradidi, possit.

Id quale sit, tum spero me Vobis declaraturum,
vbi prius, in quo differant a poetis oratores, strictim do-

C 3

cuero.

cuero. Hoc enim Vos iam diu ex me requirere vide-
mini. Et Cicero quidem paucis: „In oratione poeta-
rum cum licentiam statuo maiorem esse, quam in nobis
„faciendorum iungendorumque verborum; tum etiam
„nonnullorum voluptati vocibus magis quam rebus infer-
„viunt.“ Scilicet, tribus verbis, quae Quintiliani sunt,
omne discrimen istud continetur: libertate verborum,
figurarum licentia, denique necessitate pedum. Illa pri-
mum liberior vocabulorum electio, digna in primis poeta
est. Nam in eo natura magis dominatur, ars in oratore.
Ille frequenter soli lectorum delectationi operam dat;
hic etiam eruditioni. Itaque illius ratio tota est florida,
dulcis, atque cincinnata: huius, grauis et seuera, et ipsa
tamen interdum necessariis ornamentis nitida. Alterum,
idemque princeps, diuersitatis caput, illa quidlibet au-
dendi potestate, poetis dudum propria, constat, quae
rursus ad iucunditatem, captandosque speciosis imaginib-
us animos lectorum, data est. Hinc illa in carminibus
honesta mendacia, et fictiones; hinc omnis fabularum lo-
cus, deorum nomina, moris prisci varietas, et vniuersus
adparatus scenicus: illud poetarum patrimonium, pro
quo vindicando, pluribus abhinc annis, caussam diserte at-
que acute ex hoc ipso loco dixit, vir apud nos summus,
qui ante paucos menses viuere desit. Haec adeo duo,
satis iam lucis adferunt superiori illi quaestioni, qua vi-
delicet scrutabamur, vnde hoc esset, quod oratoriae et
poe-

poeticae facultatis rarer sit in homine uno, quae tamen est inter se perpetua, coniunctio. Quis enim iam miretur, oratorem, legibus, et quadam disciplinae morositate septum, a laeta poetae licentia alienum esse. At hic contra, dum incitato cursu vagatur, feretne facile lentum oratoris, rectaque contentum via, incessum? Est vero sua et oratori libertas. Nam licet numerum in dicendo suauem consecetur; illo tamen metri fraeno, quod furentem poetam quodammodo reprimit, libenter caret; videturque hoc vel maxime, prae quo sua compositio licentia fuerit, ab acquirenda cum poesi familiaritate abstrahi. Sed quae his adiici poterant forsan alia, recte mitto. Quale est illud, in poeta ingenium admodum foecundum, ardens, et *ἀντίθετος* desiderari, non item eo modulo in oratore.

Neque tamen ab hac omni disputatione ante discedam, quam fructum eius nonnullum ad studia humanitatis communia, pace Vesta, A. H. decerpsero. Si tanta est poeseos atque eloquentiae in summa rei societas; quidni vtriusque amorem liberalium artium studiosi, quales esse omnes decet, coniungendum ducimus? Magna est plerisque, sed peruersa opinio, facundiam aliquam: nam eloquentiam dicere non audeo: sibi quidem quaerendam, quod vident, per eam quaestum fieri, per munus futurum amplissimum, posse; poesin, praesertim il-

lam

XXIV

Iam venerandae antiquitatis in monumentis reconditam,
fere negligendam esse. Quos ego illud vnum spectare
adtentos volo, ab eloquentissimis beatorum seculorum
viris, vno esse ore editum, lectionem poetarum oratori-
bus etiam atque etiam multum prodesse. Ab his in re-
bus spiritus, in verbis sublimitatem, in affectibus motum
omnem, decus in personis, petendum. Quid? si cre-
derem, satis me, Vestro iudicio, integre contrectare
eam rem posse; paruo, vt puto, negotio efficerem, vt
adpareat, poesin, quae vera sit naturae atque artis filia,
eloquentiae, quamvis scitissimae, antecedere. Quam
vel hoc magnificum, in ceteris artibus etiam mediocrita-
tem adsecutis plaudi:

mediocribus esse poetis

Non homines, non dI, non concessere columnae.

Talis doctissimi, et accendentis ad veterum laudem
poetæ, simul et omnem humanitatem doctrinæque ele-
gantiam ingenio et stylo complexi, præclara species in-
erat nuper, enituitque in CHRISTIO: cuius a me laudes
apud Vos, hoc est earum consciens, praedicari, nec-
sum non est. Huic ego tanto viro successor, optimi
Principis gratia, datus sum. Quae res primo facit, vt
beneficii eius in me collati magnitudinem, qui adeo
splendidam iubeor occupare prouinciam, tanto grauius,
tanto insigne grati animi sensu, aestimem. Sed ad-
monet

monet me idem, vt, pro dignitate muneris, studium atque operam meam, posthac eo intensius, ad vtilissimam quamque et necessariam illius rationem conferam. Ego, quamuis Christiani praestantiam ingenii, meritaque clarissima, imitatione me consequi posse non confido; voluntate tamen proxime accedo. Non diligentiam, non fidem, non animi contentionem summam polliceor: malo ea in me deinceps cognosci, ac fortassis exspectatione aliqua, ex vitae apud Vos, Audd. Hon. adhuc actae rationibus adumbranda praecipi, quam a me ipso ostentari.

Vos autem, Collegae Venerandi, carum mihi, et spectatissimum benevolentiae atque amicitiae Vestrae inunus, perpetuum seruate. Vestros ego animos, doctrinam, in obeundo munere dexteritatem, ceterasque virtutes, non aliquot abhinc annis, sed multorum, tribus iam lustris, cognoui. Quibus cum hoc tempore arctius coniungar, mente ac studio dudum Vester, nihil mihi optabilius contingere posse et iudicau semper, et nunc maxime profiteor, quam eorum in confortio versari, qui fauore, exemplo, consilio, rebus aliis, pro hac omnium litterarum summa necessitudine, et possint adesse tibi, et velint.

D

Neque

XXVI

Neque minus nouitate vinculi; quo Vobis, Nobilissimi atque suauissimi Commilitones, obstrictum me aliquanto firmius sentio, laetari me exsultatote. De mutua quidem poeseos atque eloquentiae connexione dicendum mihi, Vestra potissimum caussa, credebam. Prouidendum scilicet sedulo videtur, ne, qui error caput longo iam tempore extulit, maiores capiat in posterrum vires: in poeta, quod praeter oblectationem, cincidentque voluptatem quaeratur, nihil omnino esse debere. Non ego ingenuam animi relaxationem, quae legendis poetis alitur, dulcia sola, non vtilia conscientias, reprehendam. Tamen ego idem confirmo, et iam ostendi, quo quisque praestantior poeta habetur, hoc illum ad instituendos oratores, erudiendumque omne genus lectorum, locupletiore esse et certiore vsu. Hoc, hoc, o mei, quando insolens est in aetatis nostrae poeta, veterum lectione experiamini. Super ea cautione, vir sine dubio incomparabilis, Iohannes Caselius, in oratione pro arte poetarum, praeculta egregia tradita, et vero etiam legenda, reliquit. Dein ex domestica huius Academiae copia, quos, et quantos in poetica recte intelligenda duces habetis? In me autem eum habebitis, qui non tam docere artem praestantissimam, quae doceri, si virtutes eius species, vix potest, instituat, quam ingenia vestra, praeclaris doctae antiquitatis exemplis, studeat illustrare.

Sed

Sed satisfaciendum a me denique pietati, et religioso bene precandi ritui, recte in hac tali celebritate peragendo, video. Quod ego pietatis munus, si verbis amplissimis exsequi possem, libenter meritoque facerem; nunc, quoniam id per tenuitatem meam non licet, defungar officio meo candide quidem, sed ut ii solent, qui tacita magis veneratione, pietatis sensum, quam verbis, produnt. Vtinam vero, illud votorum primum nostrorum, incolumitas Regis Augustissimi, et vniuersae domus Regiae, salua perfset. In ea expetenda ita requiescamus, oportet, ut nihil sine ea nobis honeste optandum existimemus. Etiam qui huic rei publicae omni consilio et auctoritate regendae, principali nomine praesunt, rebus omnibus ut longe ornatissimi perennent, vehementer opto. Habeatur porro haec Academia fœcundissima atque optima litterarum mater; praedicetur doctorum fama et virtutibus, tum discentium ingenio atque moribus, felicissima. Mihi quidem fausta, et haec muneris initia, et gerendi progressus, eueniant. Nobis omnibus, et quicunque has terras colunt, in primis novi anni, principibusque donis, hoc tribuat immortalis Dei Numen, ut ad pacem atque tranquillitatem publicam, ex hoc tam turbido tempore, tam difficulti, quam potest celerrime redeamus: sitque haec deinceps perpetua, non oratorum duntaxat, et poetarum, quibus solenne est, seculi fortunam vel praedicare iusto magnificientius,

XXVIII

centius, vel asperius eleuare; sed verissima omnis ven-
turi aeui, dignissimorumque summa fide historicorum,
praedicatio: beatam esse hanc vrbem, beatam Acade-
miam, beatam, quae tegit et fouet vtramque, commu-
nem patriam nostrum omnium, benignissimam artium
altricem, SAXONIAM. Duxi.



Aug VI 57 (1)



f

TA 70
nur 4. Seite verknüpft

Rubo



D E

15

POETA ORATORI FINITIMO

ORATIO

Q V A

PROFESSIONEM POESEOS ORDINARIAM

IN ACADEMIA LIPSIENSIS

A. D. XII. FEBR. CIOIOCCCLVII.

A D I B A T

CAROLVS ANDREAS BEL

A. M. COLL. MIN. PRINC. COLLEGIATVS ET NATIONIS BAVARICAE
SENIOR.



LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

